

no idiomate; interrogantibus respondebat de rebus, & negotiis, quæ in partibus longinquis gerebantur. Verum quia hujusmodi sunt spiritus mendaces multa erronea, & multa a vero aliena inferebat. Vox ejus erat veluti vox felis submissa, & distincta, profitebatur se Angelum Dei; Sanctissimum nomen Jesu Christi appellabat, deque vera Cruce Alexandriae esse dicebat, puerosque quandoque localiter exportabat. Hic Blasius fuit nepos, idest filius fratris insignis medicinae Doctoris D. Franceschini Panizonii, qui Renati Regis Siciliae, & Hierusalem, & Regis Caroli, & Ludovici, & mox Angliæ Regis Medicus extitit. Blasius vero Comes, & Miles ab Imperatore efficitur. Eodem anno Johannes Galeatius Maria Sfortia Mediolani Dux Philippum Ferratinum Secretarium constituit super redditibus ordinariis, & dependentibus. Eodem anno die vigesimo quarto nonis decembris Philippus, & Luchinus fratres de Ferratinis renuntiarunt feudo, & jurisdictioni oppidi Sexadii in manibus Johannis Galeatii Sforzæ Mediolani Ducis, ut ex pacto tenebantur; ex quo his tantumdem redditus dederunt, videlicet imbotaturam terræ Candiae.

(1) Bonæ MS.

MCCCCLXXXIII. Die tertio mensis augusti Luchinus Trottus filius Augustini Archidiaconus Cathedralis Alexandriae a Sixto IV. Summo Pontifice in Episcopum Bobii eligitur. Eodem anno cum nihil de mense aprilis pluisset, nec etiam de mense maii, grandis penuria frumenti, & vini extitit; quandoquidem modius frumenti Alexandrinus Mediolani libris octo comparatum fuit; vinum venditum fuit in singulo sextario scuto uno, caloresque inauditi extiterunt, qua de causa multi vitam cum morte commutarunt, & hoc potissimum anno cæptum est sterni vias præcipuas lapidibus, & hujus rei principium fuit in via, ubi ferrariæ exercebantur: hoc ordine factum fuit, ut quilibet civis suis sumptibus quantum protenderet domus sua, id præstaret. Idem eodem anno in oppido Castellatii factum fuit.

MCCCCLXXXIV. Petrus Vesputius Florentinus Prætor, & Commissarius Alexandriae laqueo interficitur a quibusdam civibus conclamatae fidei, cum prius ipse in vigilia Ascensionis Domini Nostri quemdam Carantum Lanzavecchiam suspendi fecisset ad lobiam Prætorii absque confessione, & Sacramento ullo Ecclesiæ. Qua de re Dux ira accensus domos reorum dirui fecit, & solo æquare, pluresque milites Alexandriae transmittit Existimabat enim ille Civium conjuratione id accidisse, sed re detecta animum in melius mutavit. Eodem anno vindemia uberrima fuit, & adeo vilis, & vinum optimum, ac purum vix solis sexdecim singulo stario venderetur, quod alioquin vendi solebat florenos duos, cum ætate tamen nihil pluisset; quod mirandum est. Eodem anno multi more latronum furentes, & interficientes per Alexandriae discurrebant impuniti; quod & similiter factum fuit anno sequenti 1485., quo anno tandem Ludovicus Sfortia ad similia delicta investiganda, & pu-

nienda Alexandriae misit Johannem Andream Cagnolam Mediolanensem.

MCCCCLXXXV. Die duodecimo mensis maii potissimum peste in civitate laboratur. Fiunt extra civitatem mapalia, ut in ea infirmi se recipere possent; sed Tanaro, & Burmida fluminibus inundantibus vorticibus plures absorpti fuerunt, ut etiam qui eadem de causa ad purgandam pestem in Albaretum se receperant, circum loca Burmidæ perierint. Hic annus insignis fuit adventu Herculis Ferrariæ Ducis, qui liberaliter, & honorifice, cum ad Aquarum balnea proficisceretur, ab Antonio Trotto exceptus fuit, cum quo aderant Jacobus Trottus, Paulus Antonius Trottus a secretis, nec non & Nicolaus Trottus omnes Ferrarienses, qui tandem ortum suum ducunt a civitate Alexandriae, cum hinc in urbem Ferrariæ domicilium transfulissent jam centum quinquaginta annis præteritis, in qua quidem civitate illustres, & nobiles sunt, & habentur.

MCCCCLXXXVI. Pests, quæ anno superiori civitatem invaserat, in præsentia acrius crevit præcipue in quarterio Bergolii, & nemo hominum, qui a dicta peste aggressus fuerat, evasit. Nulla domus extitit, quæ illa corrupta esset, quin omnes morerentur; multæ orationes ad Deum effundebantur. Civis fere omnes urbe relicta mapalia sibi construébant; nonnulli prope flumen Burmidæ, quidam prope flumen (1) Tanari, aliqui prout commoditas, & fors dabat; & tamen vix mortem civis evadere poterant, quin omni die extinguerentur ad centum triginta tres, plus, minusve. Cæterum Deus, qui omnia ex alto contemplatur, die vigesimo nono octobris tantam vim pluviae e caelo cadere permisit, tantique tonitrus fuerunt, ut omnes hoc spectaculo, ac nova re ad summum timorem redigerentur. Flumina omnia, quæ (2) territorium Alexandrinum alluunt, ita excreverunt, ut ad invicem se conjungerent; qui pestem fugere optabant, in aquam ceciderunt; quare verum est, quod dici solet, iram irascentis Dei neminem evadere posse. Diceres diluvium aliquod Noe, vel Deucalionis fabulosi existere. Videres aliquos velle arbores altissimas ascendere; qui tamen paullo post prostrati in terram decidebant, miserabiliter se in aquam dejicientes. Aqua fluminis Burmidæ ad portam Genuensem propinqua fuit. Boida, rus non longe a civitate, fere aqua oppressa. Ad Castellatium plures eversæ domus; incolæ vix periculum evaserunt, non tamen omnes. Civitas ipsa in hoc tanto horrendo periculo magnis sumptibus periclitantibus opem ferre nitentur. Alii lintibus, alii naviculis miseros concives adjuvabant, & nihilominus pluvia (3) per diem, & per noctem perduravit; glacies ipsæ per Tanarum adigebantur, ita ut in pistrina (4) magno periculo illorum impingerent; ex quibus tredecim abiguntur, abducunturque magno impetu, & multo civium detrimento; multi mortales interim aquis absorbentur.

(1) Urbem MS.

(2) Per MS.

(3) Viti MS.

(4) Pristinis MS.